HEMMING:

ADVERSUS

DESPERAT:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

5,-89

LN 747
ex. 1
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

ANTIDOTVM ADVERSVS *PESTEM DE-*SPERATIONIS.

Autore
NICOLAO HEMMINGIO.

HAFNIÆ
Excudebat Iohannes Stoc-
kelman.

CIƆ IƆ XCV.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

DVPLEX ESSE IN Eccleſia militante, genus hominum: unum piorum, impiorum alterum, ſacræ teſtantur literæ. Illi quidem Dei iuſtitiam ita conſiderant, ut à miſericordia eius non recedant: atq; ita tranquilla fruuntur conſcientia quiete: Hi eandem Dei iuſticiam ita contemplantur, ut horribili fremitu et metu iuſti ac ſeueri iudicij diuini, à miſericordia Dei turpiter deficiant, et excidant. Quò autem pij, ſolius Dei miſericordia ſeſe conſeruari ſciunt certius: eo multo quàm impij, à Diaboli inſidijs impetuntur miſerabilius & acerbius. Cuius exempla plurima nobis ſuppeditat ſacra hiſtoria. Ad eiuſmodi autem inſultus & machinationes. Diaboli muniendi ſunt animi piorum, ut ex tentationibus tandem emergant, uictores firmius conſiſtant, alijsq; ſuo exemplo proſint: quod ſi uero aliquando

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

ruant, fortiores tamen ſurgant: nec cū Pharaone, Saule, Iuda, Simone et alijs, ab agnita Dei miſericordia deſperent. Talia animorum infirmorum remedia proponit nobis uir abſolutæ doctrinæ & pietatis NICOLAVS HEMMINGIVS in breui de deſperationis antidoto tractatu, quem, cùm mihi ab amico quodam meo communicaretur, ideo inſcio authore (in quo facilè apud illum excuſationem mereri me puto) edere uolui, ut communibus ſtudijs conſulerem. Videbam enim huius uiri monumenta hactenus quidem edita, in omnium propè ſtudioſorum manibus uerſari ac legi: ea uero, quæ lucem adhuc nondum uiderunt, cum adhuc in litura eſſent, diligentiſsimè colligi ac deſcribi. Tu igitur, lector beneuole, hoc meum conſilium, à quo non alienum eſt aliorum literatiſsimorū hominum iudicium probabis, autori uero de Eccleſia bene merenti uitam longiorem precaberis. Vale et nobiliſsimo ac utiliſsimo hoc ſcripto feliciter perfruere.

Samuel Selfiſch Iunior.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

ANTIDOTON ADVERSVS PESTEM DESPERATIONIS.

QVOD CHRIStus in agone mortis ſuis diſcipulis mandauit, ad nos quoq́ pertinere cogitemus. *Vigilate, inquit, & orate, ne introëatis in tentationem*: quibus verbis, & quantis in periculis verſemur, donec in hoc mundo peregrinamur: & quanta diligentia cauere hoſtium inſidias oporteat: & quomodo id fieri debeat, ſignificatur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

tur. Vigilandi verbo, non ſolùm nos hoſtes habere, & ab hoſtibus cingi, verumetiam ſummum ſtudium adhibendum eſſe, in cauendis hoſtium, Satanæ, carnis, mundi inſidiis monemur, ne quo modo acerrimi iſti hoſtes nos inuadant, fidem euertant, conſcientiam vaſtent, ac ſpolient nos veſtimentis illis candidis, quibus Chriſtus Sponſus noſter nos ornauerat. Beatus (ait Dominus in Apocalyp. 16. 15.) qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet. Sunt autem veſtimenta

Chri-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

Chriſtianorum, iuſticia & ſanctitas. Iuſticia induitur per fidem: obedientia enim Chriſti, quæ eſt Chriſtianorum iuſticia, credenti imputatur. Sanctitas induitur per ſpiritum ſanctum: Credentes enim, & iuſtificati fide, donantur ſpiritu ſancto, qui in ijs tales motus creat, qualis ipſe eſt: vnde fit, vt noſtra obedientia ſit ſpontanea & alacris. Hæc veſtimenta, vult Dominus, vt cuſtodiamus, ne nudi ambulemus, ſpoliati à noſtris hoſtibus, ſathana, mundo, carne. Quoniam autem non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

eſt humanarum virium, tantis
& tam immanibus hoſtibus oc-
currere, iubet nos dominus ora-
re, vt quod ex nobis non poſſu-
mus, in Chriſto facilè valea-
mus. Confidite, inquit, ego vi-
ci mundum, Iohannis decimo
ſexto, Verſu trigeſimo tertio.
Huc reſpexit Iohannes, cùm
ſcriberet 1. Iohan. 5. 4. Hæc
eſt victoria, quæ vincit mun-
dum, fides noſtra. Vt enim fide
Chriſtum poßidemus, ita Chri-
ſti virtute hoſtes noſtros ſpiri-
tuales ſuperabimus. Quare cum
ſemper oppugnamur ab hoſti-
bus,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

bus, ſemper orabimus, vt Chriſtus victor nobis ſemper adſit, ne ab hoſtibus noſtris vnquam expugnemur. Et quia ſæpe labimur (tanta eſt enim carnis noſtræ infirmitas, tanta mundi peruerſitas, tantæ Sathanæ inſidiæ) duo in primis cauenda ſunt. Vnum, ne lapſi immoremur in peccato. Nam quò diutius in cœno peccati volutamur, eò difficiliùs inde eluctamur. Alterum, ne circumuenti ab hoſtibus, & diutius in peccati cœno detenti, deſperemus veniam. Nam prima ſalus eſt, citò reſi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

piſcere, & declinare culpam: ſecunda, non deſperare veniam. Nam deſperare veniam extremum malorum eſt. Vt autem hic ſcopulus deſperationis diligentiùs à nobis caueatur, viſum eſt mihi hoc tempore remedia aduerſus deſperationis venenum ex apotheca Dei, id eſt, ſcriptura ſancta colligere ac dicam:

Primûm, quid ſit deſperatio, & quàm horrendum malum ſit.

Deinde, quomodo occurrendum ſit deſperationi, ne hominẽ in mortem æternam præcipitet.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

DE PRIMO.

Deſperatio (de qua nobis hic ſermo erit) eſt horribilis mentis & cordis ſeu conſcientiæ trepidatio, ex ſenſu iræ diuinæ propter peccatum concepta, cum metu æternæ damnationis, ſine ulla expectatione ueniæ. Triſtiſsima exempla in Cain & Iuda conſpiciuntur. Vterq; enim deſperationis, gurgite abſorptus eſt. Cain oppreſſus ſenſu iræ diuinæ & metu æternæ damnationis exclamat: Maior eſt iniquitas mea, quàm ut ueniam conſequar. Iudas prodito domino pœnitens quidem, ſed non reſipiſcens ait: Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum. In Cain ex deſperatione naſcitur obduratio, cum extremo contemtu Dei & Eccleſiæ. In Iuda ex deſperatione naſcitur homicidium. Nam hic magnitudinem doloris non ſuſtinens ſtrangulauit ſeipſum. In his duobus exemplis initia deſperationis diuerſa ſunt. In Cain enim

initi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

initium deſperationis fuit hypocriſis, & opinio meriti, cuius natura eſt eos omnes extremè odiſſe & perſequi, qui ſuas ſuperſtitiones non ſequantur. Id quod Iohannes, 1. Iohan. 3. 12. his uerbis indicat. Cuius gratia occidit (ſcilicet Cain) eum? (ſcilicet fratrem ſuum) Quia opera eius mala erant, fratris autem iuſta. Hypocriſin igitur Cain excepit odium fratris iuſti, odium fraternum ſecutum eſt fratricidium. Hinc conſcientia mala torquet animum, quam comitatur deſperatio de uenia: quæ poſtquam induruit, factus eſt Cain ſummus contemtor Dei, & perſecutor Eccleſiæ. Huius exemplum multi tyranni hodie in papatu imitantur. Atq; ita Cain magnam catenam ſcelerum texuit, uidelicet præſumtionis de merito, odij fraterni, fratricidij, deſperationis, obdurationis, contemtus Dei, & perſecutionis Eccleſiæ. In Iuda initium deſperationis ſeu primus gradus fuit diffidentia, quæ eſt mater auaritiæ.

Nam

Nam ubi uera fides eſt promiſsionis diuinæ, nullum locum habet auaritia, quæ idolatria à Paulo dicitur. Hæc auaritia à diffidentia nata ſolicitat Iudam ad furtum, ut ſemper aliquid decerpſerit furtim ex ijs, quæ Domino in ſubſidium à pijs hominibus donabantur. Hinc eſt quod adeo fremuit, cum uideret Mariam ſororem Lazari effundere pretioſum unguentum in pedes Ieſu. Quare, inquit, hoc unguentum non uœnijt trecentis denarijs, & datum eſt pauperibus? Dixit autem hoc (ait Euangeliſta Iohan. 12. 5.) non quod pauperum ipſi cura eſſet, ſed quia fur erat, & marſupium habebat, & ea, quæ mittebantur, portabat. Ab hoc fremitu aduerſus piam fœminam, quæ unxit Domini pedes, in proditionem Domini prolapſus eſt, hinc in deſperationem, hinc in laqueum, quo ſe ſtrangulauit. Coniunxit ergo Iudas multa peccata, uidelicet diffidentiam, auaritiam, furtum, inuidiam, proditionem, deſperationem,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

tionem, & homicidium. Horum omnium ſcelerum maximum fuit deſperatio. Quodnam enim maius malum eſſe poteſt, quam negare miſericordiam Dei, quod eſt ſpoliare Deum ſua gloria? Qui de uenia peccatorum (ait Auguſtinus) deſperat, negat Deum eſſe miſericordem: magnam iniuriam Deo facit, qui de eius miſericordia diſfidit: quantum in ſe eſt, negat Deum habere charitatem, ueritatem, poteſtatem, in quibus tota ſpes mea conſiſtit, ſcilicet in charitate adoptionis, in ueritate promiſſionis, & in poteſtate redemptionis. Et Bernhardus ait: deſperatio auget peccatum: deſperatio maior eſt omnibus peccatis: deſperatio peior eſt omni peccato.

Porro deſperationi duo opponuntur, uidelicet bona rectaq; ſpes ex uerbo Dei per Spiritum ſanctum concepta, & peruerſa ſecuritas. Illa ſalus eſt animæ: hæc peſtis. Eſt autem bona & recta ſpes firma expectatio æternæ uitæ, & beatitu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

dinis propter Chriſtum, qui fide apprehenditur. Contrà uero, peruerſa ſecuritis eſt, cum homo ideo indulget peccatis ſuis, quia ſcit DEVM eſſe miſericordem: quod quid, quæſo, aliud eſt, quàm Deum contemnere, & pretioſum Chriſti ſanguinem pedibus calcare? Non enim effudit ſanguinem ſuum in ara crucis, ut tu indulgeas libidini tuæ, auaritiæ, furto, tyrannidi, ſed ut à peccato declines, & ſecteris iuſticiam. Ab hac igitur ſecuritate peruerſa dehortatur ſapiens Syracidæ 5. 4. Ne dixeris, peccaui, & quid mihi acerbum accidit? Dominus patiens eſt, non te dimittet, de uenia ne ſis nimium ſecurus, ut peccata peccatis cumules. Ne dicas, miſericordia eius plurima eſt, magnitudinem peccatorum meorum mihi ignoſcet. Rationem ſubiungit. Quia, inquit, tam ira, quàm miſericordia ab eo properabit, ac ſuper ſceleratos furor eius requieſcet. Sapiens ut non uult, cum ita loquitur, homi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

nes de remißione peccatorum, ſiue uenia dubitare, ita non uult eos abuti miſericor=dia Dei ad licentiam peccatorum. Ideo mox apponit ſaluberrimum conſilium: non differas, inquiens, conuerti ad domi=num, nec diem ex die ducas. Fugienda eſt igitur peruerſa ſecuritas ſeductrix ac peſtis animæ. Nemo, ait Auguſtinus, peruerſè ſit ſecurus, iſta enim Duo occi-dunt animam: aut deſperatio, aut per=uerſa ſpes.

DE SECVNDO.

Præclarè dictum eſt ab Auguſtino de pœnitentia: Quicquid feceris, quantum=cunq; peccaueris, adhuc in uita es: unde te omnino, ſi ſanare nollet, Deus auferret: qui enim clamando tibi perſuaſit, ne rece=deres, parcendo clamat, ut redeas. Hacte=nus Auguſtinus. Quapropter omnino ſta=tuendum eſt, quod quam diu homo uiuit,

quan=

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

quantumuis magnus peccator, ſi confuge-
rit ad miſericordiam in uera pœnitentia,
uerè recipiatur in gratiam. Gratia enim
ſuperat peccatum, utut magnum, multum
& horrendum ſit: nec Deus delectatur
morte peccatoris, ſed ut conuertatur &
uiuat. Filius Dei dicit Luc. 5. 32. Non ue-
ni uocare iuſtos, ſed peccatores ad pœni-
tentiam. Item Matth. 11. 28. Venite ad
me omnes, qui laboratis & onerati eſtis,
ego refocillabo uos. Cum his congruit di-
ctum Domini. Ezech. 18. 27. In qua-
cunq; die conuerſus fuerit homo à uia ſua
peßima, omnium iniquitatum eius obliuiſ-
car. Et Eſa. 43. 25. Ego ſum, ego ſum,
qui deleo iniquitates tuas propter me, &
peccatorum tuorum non recordabor. Do-
minus & magiſter noſter Ieſus Chriſtus,
docens nos orare, remedia efficacißima
aduerſus deſperationem nobis commen-
dat. Primum enim cum iubet nos compel-
lare Deum patrem noſtrum, uult ut ag-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

noſcamus paternum ipſius animum erga nos, ut qui pater eſt, nos autem filij eius. Iam autem cum nullus filius uerè & ſerio reſipiſcens, de uoluntate patris ſui erga ſe dubitare poteſt, neq; nos dubitare debemus de tam boni patris clementia. Hic affectus Dei patris erga quemlibet peccatorem reſipiſcentem pingitur in parabola de filio Prodigo Luc. 15. & Dauid Pſalm. 103. 13. ait: Quemadmodum miſeretur pater filiorum, miſeretur Dominus timentibus ſe. Deinde Dominus iubet nos precantes dicere: Dimitte nobis peccata noſtra, quod ſane non faceret niſi uellet peccata remittere. Vnde Auguſtinus: Cur docuiſſet ipſe dominus orantes dicere: Dimitte nobis debita noſtra; niſi ipſe miſericors perſeueraret, qui nos ab hac precatione non uult deficere. Præterea iubet nos petere liberationem à malo, uult igitur nos liberare, modo in ſeria pœnitentia ad illum confugerimus. Hæc breuiter di-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

cta ſint de communi remedio aduerſus omne peccatum, quantumcunque aut qualecunque fuerit, ſiue malitiæ, ſiue infirmitatis, ſiue ignorantiæ. Iam autem quoniam in alijs atque alijs poſſunt eſſe aliæ atque aliæ deſperationis cauſæ, ſecutus peritos medicos, qui omnium primum conantur cauſas morborum amouere, cauſas deſperationis inquiram, atq; ijs remedia ex uerbo Dei opponam: quo homo deſperabundus erigatur in ſpem ueniæ, & uincat triſtiſsimum deſperationis malum. Videntur autem mihi præcipuæ deſperationis cauſæ hæ ſex.

Prima, Enormitas peccatorũ.
Secunda, ignoratio voluntatis Dei.
Tertia, opinio particularitatis.
Quarta, Opinio peccati in ſpiritum ſanctum cõmiſsi.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

Quinta, Moles calamitatum ſine intermiſsione.

Sexta, Inueterata & longiſsima peccandi conſuetudo.

Si has cauſas deſperationis ſuſtulerimus, facilimè ſanabitur deſperabundus.

De prima cauſa deſperationis.

Prima cauſa deſperationis, ut propoſuimus, eſt Enormitas *peccatorum, quæ quis perpetrauit, quibusq́; ſe non* Dei *ſeruum, ſed peccati & Diaboli mancipium declarauit.* Qui *facit peccatum, (ait Dominus* Iohan. 8. 34.) *Seruus eſt peccati. Seruus autem peccati, Diaboli mancipium eſt, eiq́; militat, qui turpitudine peccatorum delectatur in contumeliam* Dei. Ex *quo patet quam abominabile malum ſit peccatum, & quam graue, adeo ut omnes creaturæ, ne minimum quidem peccatum*

ſuis meritis poßint expiare. Quid ergo hic homini faciendum, ſibi conſcio tam horrendi mali? in apothecam, id eſt, in ſanctuarium Dei *oportet eum ingredi, ibique antidota contra deſperationem, quæ ex enormitate & abominatione peccati oritur, quærere. Eſt autem apotheca ſeu ſanctuarium* Dei, *ipſa* Eccleſia Dei, *in qua ſonat uerbum* Dei, *quod uerbum ſex rerum oppoſitarum comparationes habet, quarum ſingulæ facilimè mederi deſperationis malo, quod ex enormitate ſcelerum naſcitur, poſſunt.*

COMPARATIONES autem hæ ſunt.

1. Peccati & gratiæ.
2. Miſeriæ hominis, & miſericordiæ Dei.
3. Debiti & ſolutionis.

4. Adam & Chriſti. (nis.
5. Inimicitiæ & reconciliatio-
6. Morbi & medicinæ, ſeu æ-
groti & medici.

In his uidendum eſt, quæ pars poten-tior & efficacior ſit, & quæ impotentior & minus efficax.

Prima collatio eſt peccati & gratiæ. Sit ſanè enorme peccatum tuum, ſi homi-nes reſpicis, quorum peccata, quam tua le-uiora, minora, & pauciora uidentur pon-dere & menſura: attamen abſit, ut exce-dat gratiam Dei, quæ menſuram & pon-dus peccati totius mundi in infinitum ex-cedit & ſuperat. Nequaquam ergo tuum peccatum potentius eſt ad damnandum, quam gratia Dei ad ſaluandum. Noli hoc ſcelus committere, ut exiſtimes peccatum totius mundi, nedum tuum ſolius maius eſſe gratia: fidem adhibe ſpiritui ſancto in Paulo loquenti Roman. 5. 20. ubi inter

cætera hanc auream ſententiam toto pe-
ctore amplectendam habet: Vbi abunda-
uit peccatum, ſuperabundauit & gratia,
hoc eſt, uehementer & ſupra omnem mo-
dum exuperat gratia ſupra peccatum.
Loquitur autem Paulus non de peccato
unius hominis, ſed de peccato totius mun-
di, quod peccatum ſi ſuperat gratia, ut re-
uera teſte ſpiritu ſancto ſuperat peccata
totius mundi, cur non tuum, quantumuis
magnum & triſte peccatum ſuperaret?
Gratia hoc loco eſt gratuitus fauor Dei &
beneuolentia, qua omnia peccata hominis
conuertentis ſe ad Deum per fidem in Ie-
ſum abſorbentur. Nam Deus pater om-
nes reſipiſcentes charos habet in dilecto.
Nunquam proinde ita peccatum abundare
poteſt, quin gratia, qua Deus nobis re-
mittit peccatum propter mortem filij, &
imputat iuſticiam filij ſui, ſit multò abun-
dantior, adeo ut à peccato ſuperari nullo
modo queat. Hæc collatio peccati et gratiæ,
ut

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

ut clypeus fortiſsimus opponatur deſperationi. Proinde ergo, quando enormitas peccatorum tuorum te ad deſperationem ſollicitat noli arguere ſpiritum ſanctum in Paulo loquentem: mendacij, ſed potius ſtatue illum eſſe doctorem ueritatis, ut magiſter noſter eum nominat, & certiſsimo certius perſuadeto tibi, gratiam in infinitum eſſe potentiorem, quam tuum peccatum: ad quam gratiam, ſi in uera pœnitentia confugeris, ſaluus eris, & beatus in omnem æternitatem.

Secunda collatio eſt miſeriæ hominis, & miſericordiæ Dei. Miſeria hominis eſt iuſta peccati pœna. Sublato igitur peccato ex gratia, ſoluitur pœna, quæ eſt humana miſeria. Tametſi igitur ingens eſt, & grauiſsima miſeria humana: tamen nullo pacto maior eſt miſericordia Dei. Nam cum hæc miſericordia omnia DEI opera excedat, fieri non poteſt, ut à miſeria humana uincatur. Sic enim ſcriptum

eſt Pſalm: 145. Verſ. 9. Bonus eſt Dominus omnibus, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Cauſa huius immenſæ miſericordiæ Dei προκαταρκτικὴ quidem, id eſt, exterius mouens, ut obiectum, eſt miſeria humana. προηγουμένη uerò, id eſt, interius urgens eſt bonitas & amor, quo DEVS humanum genus, ut nobiliſſimam ſuam creaturam creatam & formatam, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam complectitur. De hoc amore DEI erga genus humanum teſtimonium perhibet Dominus noſter Iohan. 3. 16. cum ait: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Miſeriam ergo humanam, cuius extremus gradus eſt æterna condemnatio, abſorbet miſericordia Dei ex intimo amore profecta propter mortem filij, idq; in omnibus, qui in uera pœnitentia, ad DEVM conuertuntur, nam alios omnes, hoc

eſt, incredulos, ira Dei ſempiterna obru=
et: non ſolum propter peccatum contra
legem DEI commiſſum, ſed etiam, idq́;
multo magis, propter contemtum reme=
dium aduerſus peccatum: quod remedium
Euangelium promiſcuè omnibus offert.
Porro de miſericordia Dei, quæ multo po=
tentior eſt noſtra miſeria, teneantur hæc
dicta Dauidis Pſalm: 32. 5. Miſericor=
dia Domini plena eſt terra. Item. 130. 7.
Apud Dominum eſt miſericordia, & co=
pioſa apud eum redemtio. Item. 144. 9.
Suauis Dominus uniuerſis, & miſeratio=
nes eius ſuper omnia opera eius. Item. 8.
Miſerator & miſericors Dominus, tardus
ad iram, & multum miſericors. Item.
103. 13. Quemadmodum miſeretur pa=
ter filiorum, miſertus eſt Dominus timen=
tibus ſe. Item. Pſalm: 103. 7. Miſericor=
dia Domini ab æterno, uſque in æternum,
ſuper timentes eum. Item. Pſalm: 103. 11.
ſuper altitudinem cœli à terra corrobora=
uit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

uit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Huc addam dulciſsimum dictum Domini, *quod eſt* Eſaiæ 49. 15. *Nunquid obliuiſcetur mulier infantis ſui, ita ut miſereatur filij uteri ſui? etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Dictum Auguſtini, conſolatione pleniſsimum: Cain dicit: maior eſt iniquitas mea, quam propitiatio: mentiris Cain (ait Auguſtinus) Nam* Dei *miſericordia maior eſt omnium peccatorum miſeria. Fulgentius præclarè dicit:* DEVS *noſter ſic eſt miſericors & bonus, ſicut infinitus & inuictus. Proinde bonitas inuicti non uincitur, & infiniti miſericordia non finitur. Item, iuſtus eſt Deus & miſericors, ſicut ergo poteſt per iuſticiam damnare auerſum, ſic poteſt per miſericordiam ſemper ſaluare conuerſum. Baſilius: Magnus magnitudini peccati opponit* τὸ μέγεθος τοῦ ἐλέους Dei, *& multitudini peccatorum* τὸ πλῆθος οἰκτειρμῶν Dei. *Si ergo illam ponderare, &*

hos numerare poteris, deſpera. Ad hanc magnitudinem miſericordiæ, ad hanc multitudinem miſerationum homo cogitans de ſuæ miſeriæ pondere & numero confugiat, & dicat uero corde: Miſerere mei, ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitates meas: nam ſi iniquitates obſeruaueris Domine, quis ſuſtinebit? ſed apud te eſt propitiatio & copioſa redemtio. Hic locum habet dictum Auguſtini: Non timeat acceſſurus ad Deum aliquas iniquitates ſuas, tantummodo accedat pleno corde, & deſinat facere, quæ antea faciebat, & non dicat: illa iniquitas mihi non dimittetur.

Tertia collatio, eſt debiti & ſolutionis, ſeu culpæ & ſatisfactionis. Peccata noſtra debita nominantur propter ſimilitudinem. Vt enim debita ciuiliter obligant ad ſolutionem, uel pœnam: ita peccata ſpiritualiter obligant ad ſatisfactionem,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

nem, aut ad pœnam æternam. Nam ita peccata noſtra nos reatui obſtringunt apud Dei tribunal, & debitores conſtituunt, ut nulla ſpes ſit obtinendæ gratiæ, niſi per ſatisfactionem. Hæc ſatisfactio eſt mors Domini noſtri IESV Chriſti, ut ſequentia teſtantur teſtimonia. Roman. 4. 25. Mortuus eſt, ſcilicet Dominus Ieſus Chriſtus, pro peccatis noſtris, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Iohan. 1. 29. Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. 1. Timoth. 2. 5. Vnus eſt Mediator Dei, & hominum, Homo IEſus CHriſtus, qui dedit ſeipſum ἀντίλυτρον pro omnibus. Roman. 3. 27. Omnes peccauerunt, & deſtituuntur gloria Dei, iuſtificantur gratis ipſius gratia, per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorium, in ſanguine eius, in prima Iohannis primo, Verſu nono. Sanguis Filij eius purgat nos ab omni peccato, prima Iohannis ſecundo, Verſu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

ſecundo. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed totius mundi.

Habemus quæ ſint debita noſtra, & quæ ſit ſatisfactio: nunc ea inter ſe conferamus, ut nobis certo conſtet, ſitne potentius peccatum ad damnandum, quam ſatisfactio Chriſti ad ſaluandum. Quam potens ſit peccatum triſtiſsima experientia totius mundi teſtatur. Lex enim peccati nemini parcit, non regibus, non ſapientibus, non diuitibus, non pauperibus, nulli ſexui, nulli ætati, nulli nationi parcit: omnes ſiquidem uarijs calamitatibus ſubijcit, & tandem non ſolum morte mulctat, uerumetiam omnes, qui non per ſatisfactionem liberantur, obruit æternis pœnis. Huiuſmodi eſt debitum noſtrum, ſic mulctat lex peccati omnes, qui illud non ſoluunt. Attamen utut ſæuum eſt: utut horrendum, utut maximum, tamen finitum eſt, ſuperabile eſt, & poteſt in nihilum redigi. λύ-

τρον enim Filij Dei multo potentius eſt ſua bonitate, quam debitum malitia: multo eſt fortius ad ſaluandum, quam debitum ad perdendum: multo efficacius eſt ad ſalutem, quam debitum ad damnationem. Non dubito, ait Bernhardus, quin multo potentior & efficacior ſit mors Chriſti in bonum, quam peccata noſtra in malum. Qui ſic? quia ſatisfactio eſt infinita, immenſa: debitum finitum, & menſurabile. Quomodo, inquies, poterit unius hominis mors eſſe ſatisfactio pro tot peccatis totius mundi? Nonne mors illa finita eſt? Nonne temporaria? Nonne iam præterijt? Fateor quidem, quod mors ſit unius hominis, fateorq́; quod finita ſit, quod præterierit, non enim amplius moritur, teſte Paulo: attamen mors illa finita, eſt infinita ſatisfactio, eſt infiniti pretij & ualoris, quoniam non eſt mors puri hominis, qualis Iohannis & Petri fuit, ſed eſt mors hominis, qui eſt Deus. Nam Deus & ho-

mo unus Chriſtus mortuus eſt, ſed in ea natura, quæ mori poterat. Hinc eſt quod mors Chriſti ſit infiniti pretij & ualoris, ſufficiatque ad ſatisfactionem pro totius mundi peccatis. Congruebat enim iuſticiæ diuinæ, ut quemadmodum unus homo peccauit: ac totam ſuam poſteritatem peccato, & reatu inuoluit: Sic unus homo ſatisfaceret pro peccatis totius mundi iuxta ſcripturam. Verum quia minimum peccatum potentius erat, quam ut omnes creaturæ poſſent illud ſuperare, aut pro illo ſatisfacere, ideo oportuit illum, qui pro illo ſatisfaceret, eſſe uerum Deum, & uerum hominem: ut poſſet, quia Deus: deberet, quia homo, perſonam totius mundi ſuſtinens. Etſi ergo hic homo IESVS CHriſtus ſemel mortuus eſt, tamen ipſa mors perpetuo ualet, ad ſaluandos omnes, qui ad Deum in uera pœnitentia confugerint. Heb. 10. 14. Vna oblatione conſummauit in æternum ſanctificandos. Item,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

Verſu: 10. Sanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti, ſemel peractam. Item, Verſ: 12. Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam in ſempiternum ſedet ad dexteram Dei. Item, Heb. 9.28. Chriſtus ſemel oblatus eſt, ad multorum exhaurienda peccata. Hinc tandem concludit Apoſtolus hanc exhortationem & conſolationem Ver. 19. Habentes igitur fiduciam introëundi in ſancta, per ſanguinem Ieſu accedamus cum uero corde, in certitudine fidei, aſperſi cordibus à conſcientia mala, teneamus confeßionem ſpei inflexibilem, fidelis eſt enim qui promiſit. Cum itaq; ſolutio debiti ſeu ſatisfactio pro culpa ſit multo maior & potentior ad ſaluandum, quam debitum & culpa ad perdendum, nemo deſperet ob magnitudinem & multitudinem ſuorum peccatorum, ſed confugiat in uera pœnitentia ad thronum gratiæ, per fidem in Ieſum Chriſtum. Memorabile dictum eſt Bernhardi in ſermone

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

de annuntiatione uirginis pagin. 151. De remiſsione peccatorum (inquit) ualidiſsimum teneo argumentum dominicam paſsionem. Vox ſiquidem ſanguinis eius inualuit multo plus, quam uox ſanguinis Abel clamans in cordibus electorum remiſsionem omnium peccatorum. Traditus eſt enim propter peccata noſtra, nec dubito quin potentior & efficacior ſit mors illius in bonum, quam peccata noſtra in malum. Hactenus Bernhardus.

Quarta collatio eſt Adami & Chriſti. Hanc collationem Paulus 1. Corinth. 15. 21. inſtituit: Ita enim ait: Poſtquam per hominem mors, per hominem quoq; reſurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes uiuificabuntur. Hic Paulus opponit inter ſe Adam & Chriſtum, tanquam contrarias cauſas, quarum ſunt contrarij effectus. Vt enim per Adam peccantem mors peruaſit in omnes homines: Sic per

Chri-

Chriſtum iuſtum uita uenit in omnes, qui credunt in eum. Roman. 5.19. Quemadmodum per inobedientiam unius (Adam) multi conſtituti ſunt peccatores: ita obedientia unius (Chriſti) multi conſtituentur iuſti. Roman. 5.15. Nam ſi unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum per gratiam, quæ eſt unius hominis IEſu Chriſti, in multos abundauit. Iam nemo Chriſtianus dubitat, quin Chriſtus Deus & homo, ſit potentior ad uiuificandum, quam Adam ad mortificandum. Quapropter quicunq; deſperat ueniam, quantumuis ſit magnus peccator, Chriſtum contumelia afficit, eumq́; in ordinem redigit, et infra Adamum collocat, quaſi Chriſtus non eſſet potentior ad ſaluandũ, quam Adam ad perdendum.

Quinta collatio, inimicitiæ & reconciliationis, de qua Paulus ita ſcribit. Roman. 5.10. Nam ſi cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo, per mortem

Filij ipſius, multo igitur magis ſaluabimur per uitam ipſius. Hic Paulus duplicem collationem inſtituit, primum, inimicitiæ & reconciliationis, deinde efficaciæ mortis & uitæ Chriſti. Mors Chriſti eſt cauſa reconciliationis: uita, ſalutis. Hoc Pauli dictum Auguſtinus nominat arma, quibus expugnatur inimicus, & inuictiſsimum ſcutum, quo repellitur inimicus deſperationem ſalutis ſuggerens, multitudine tribulationum & tentationum.

Sexta collatio eſt morbi & medicinæ, item ægroti & medici. Dominus noſter ſe medicum nominat, & omnes màle habentes uocat, & offert ijs ſuam operam, Matth. capit. undecimo, Verſu uigeſimo octauo. Venite omnes, inquit, qui laboratis & onerati eſtis, ego refocillabo uos. Hoc intellexit Dauid, cùm in Pſalm. centeſimo tertio, Verſu primo, caneret: Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini Sancto eius. Benedic

nedic anima mea Domino, qui propitia-
tur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat
omnes infirmitates tuas, qui redemit de in-
teritu uitam tuam, qui coronat te miſeri-
cordia & miſerationibus. Chriſtus ergo
noſter medicus cùm ſit Dei ſapientia, po-
teſt curare quosuis morbos. Hinc Ful-
gentius concludit: Si peritus eſt medicus,
omnes poteſt infirmitates ſanare, ſi miſe-
ricors eſt Deus noſter, etiam poteſt pecca-
tum dimittere. Non eſt perfecta bonitas,
à qua non omnis malitia uincitur: Non eſt
perfecta medicina, cui morbus aliquis in-
curabilis inuenitur. Scriptum enim tene-
tur in ſacris literis Sapient. 7. 30. Sapi-
entiam autem non uincit malitia. Quid
ergo putemus nobis remitti non poſſe, cum
propitius ſit Dominus omnibus iniquita-
tibus noſtris? aut quid in nobis æſtimamus
ſanari non poſſe, cum Deus ſanat omnes
languores noſtros? Nemo igitur de medi-
co deſperans in infirmitate remaneat. Ne-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

mo miſericordiam Dei extenuans, in iniquitatibus contabeſcat. Apoſtolus clamat Roman. capit. quinta, Verſu ſexto. Chriſtus pro impijs mortuus eſt. Ipſe Medicus dicit Matth. cap. nono, Verſu decimo tertio. Veni in hunc mundum peccatores ſaluos facere. Matth. capit. decimo octauo, Verſu undecimo. Veni ſaluare, quod perierat. Qualecunq; ſit ergo, & quantumcunque peccatum, non poteſt incurabile manere, modò Chriſtus medicam manum adhibeat. Hic ergo ab ægroto quærendus et orandus eſt, iuxta dictum Eſai. quinquageſimo quinto, Verſu ſexto. Quærite Dominum, dum inueniri poteſt, inuocate eum dum prope eſt. Derelinquat ergo impius uiam ſuam, & uir iniquus cogitationem ſuam, & conuertatur ad Dominum, quia multus eſt ad ignoſcendum. Relinquat ergo impius uiam ſuam, qua peccat: relinquat iniquus cogitationem ſuam, qua de remiſsione peccatorum deſperat, &

ſecun-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

ſecundum Prophetæ dictum conuertatur ad Dominum, quia multus eſt ad ignoſcendum. In hoc multo nihil deeſt, in quo eſt omnipotens miſericordia, & omnipotentia miſericors. Imitetur ergo peccator exemplum Dauidis Pſalm. 6. 3. in hunc modum precantis: Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea, quaſi dicat: Ego infirmus ſum, tu medicus: ſana me ergo ad te confugientem ex mandato tuo. Et alibi ait Pſal. 51. 1. Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele præuaricationes meas, hoc eſt, peto Domine Deus magnam miſericordiam tuam, quia ſentio magnam miſeriam meam. Peto magnam medicinam tuam contra plagam magnam meam, peto multitudinem miſerationum tuarum, contra multitudem iniquitatum mearum. Tu etiam ſolus ſanas contritos corde, & alli-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

gas contritiones eorum, cum ſis bonus uniuerſis, & miſerationes tuæ excedant omnia opera tua. Pſalm. 145. 9. Huc addam memorabile dictum Auguſtini ex Pſal. 102. Omnipotenti medico nullus languor inſanabilis occurrit: tantum enim doctiori te ſine, manus eius ne repellas: nouit quid agat: non tantum delecteris, cum fouet, ſed toleres, cum ſecat.

Hæ ſex collationes ſemper animis noſtris ſint infixæ, has cogitemus, quoties precamur: Dimitte nobis debita noſtra, & ſtatuamus uero corde miſericordiam Dei potentiorem & efficaciorem eſſe, noſtra miſeria: ſtatuamus gratiam ſupra omnem modum exuperare peccatum totius mundi ſtatuamus pretium ſolutum pro debitis noſtris, eſſe multo maius & potentius debito, & ſatisfactionem culpa: ſtatuamus Chriſtum, ſecundum Adamum, potentiorem eſſe ad uiuificandum, iuſtificandum & ſaluandum, quam Adamum primum ad occidendum,

dum,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

dum, condemnandum & perdendum. Denique ſtatuamus, reconciliationem noſtri cum Deo ſuperare inimicitias quæ fuerunt, & medicinam morbo hominis eſſe potentiorem. Hinc proinde diſcamus, quam ſuauis ſit Dominus, & quam beatus ſit, qui ſperat in eo.

De ſecunda cauſa deſperationis.

Secunda cauſa deſperationis, ut propoſuimus, eſt ignoratio uoluntatis Dei, quam ſola ſcriptura nobis patefacere poteſt: quare teſtimonia ſcripturæ de hac conſulamus, quæ deſperationi facilè, modo fidem illis adhibeas, mederi poſſunt. Proponamus ergo aliquot illuſtria teſtimonia ſcripturæ, de uoluntate Dei erga nos homines. 1. Timoth. 2. 4. clarè ſcribitur: DEVS uult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

unus eſt enim DEVM, *unus eſt mediator* Dei *&* *hominum, homo* Ieſus Chriſtus, *qui dedit ſeipſum in pretium redemtionis pro omnibus.* Hic tres ordines facit Paulus, *in ſupremo* Deum *collocat: in medio* Chri-*ſtum redemptorem cum pretio redemptio-nis: in infimo, non partem humani gene-ris, ſed totum humanum genus, ſeu omnes homines collocat.* Quicunque ergo ſe ho-*minem agnoſcit, ſciat ſe in eorum numero eſſe pro quibus mediator intercedit, & dat pretium redemtionis.* Quomodo autem *hoc pretium redemtionis ſingulis appli-candum ſit, docet* Apoſtolus, *cum ait:* De-*us uult omnes homines in agnitionem ue-ritatis uenire.* Eſt *autem agnitio ueritatis notitia & fiducia miſericordiæ* Dei *prop-ter pretium redemptionis, quod* Chriſtus *mediator* Dei *& hominum pro omnibus hominibus ſemel ſoluerat in ara crucis.* Quicunq́; *ergo uenit in agnitionem ueri-tatis, & firma fiducia recumbit in unicum*

noſtrum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

noſtrum mediatorem Ieſum Chriſtum, abſoluitur ab omnibus peccatis ſuis, ornatur iuſticia Chriſti, accipit arrhabonem hæreditatis, ſpiritum Sanctum. Quare non eſt, quod quiſquam deſperet ueniam, cum conſtat, DEVM omnes uelle ſaluos fieri per hunc Ieſum Dominum noſtrum, qui eius membra efficiuntur per fidem. Cum hoc Pauli dicto congruunt plurima ſcripturæ teſtimonia, ex quibus pauca quædam confirmandæ fidei noſtræ cauſa huc apponam. Ezech. 33. 11. Nolo, ait Dominus DEVS, mortem peccatoris, ſed ut conuertatur à uia ſua & uiuat. Iohan. 6. 40. Hæc eſt uoluntas patris mei, ut omnis, qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam. 2. Pet. 3. 9. Deus longanimis erga omnes, non uolens ullos perire, ſed omne ad pœnitentiam recipere. Hanc Dei uoluntatem, qua Deus uerè uult omnes homines ſaluos fieri, confirmat etiam mandatum Dei. Matth. 17. 5. iubentis, ut omne

audiant filium. Item, Mandatum Chriſti. Marc.16.15. amandantis Apoſtolos ſuos: Ite, inquit, in mundum uniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: Qui uero non crediderit, condemnabitur. Hæc teſtimonia, & ſimilia de uoluntate Dei, uolentis omnes, qui crediderint, ſaluos fieri, non ſinamus nobis eripi ulla ſophiſtica. Si enim hæc eſt uera, ſic uti eſt uerißima, Deus uult omnes homines ſaluos fieri, profecto falſa erit hæc, Deus non uult omnes homines ſaluos fieri. Non ſunt enim in DEO contradictoriæ uoluntates. Quare cum promißio gratiæ edita per filium ſit uniuerſalis, ut iam demonſtratum eſt: nemo cogitet, aliam eſſe arcanam uoluntatem patris, quæ pugnat cum uoluntate ipſius patefacta uoce filij eius IESV Chriſti. Is enim eſt uerax nuncius, & teſtis uoluntatis Dei patris. Hinc ergo conſolationem petamus aduerſus deſperationem,

quam teneamus tanquam ancoram inter fluctus, & procellas tentationum: quod ſi fecerimus, nunquam euertemur, nunquam dimouebimur loco, nunquam cedemus contrarijs uentis. O fœlices nos, ſi hanc doctrinam de uoluntate Dei intimis ſenſibus & pectoribus infigamus, uera fiducia in Deum recumbentes.

De tertia cauſa deſperationis.

Tertia cauſa deſperationis eſt multis cogitatio paucitatis electorum. Nam cum audiunt. Matth. 20. 16. & 22. 14. ſcriptum eſſe. Multi ſunt uocati, pauci uero electi, ſtatim trepidant & dubitare incipiunt, an ſint in illa paucitate electorum. In hunc ſcopulum multi impegerunt adeo, ut planè de uenia deſperarent, putantes Deum exaraſſe, neſcio quas fatales tabulas ante mundum conditum. Sed hi in magno

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

errore uerſantur. Dictum domini: multi ſunt uocati, pauci uero electi, nequaquam uniuerſali gratiæ, & dicto Pauli 1. Timoth. 2. 4. Deus uult omnes homines ſaluos fieri, & alijs ſimilibus teſtimonijs de uniuerſali gratia aduerſatur. Sed ſententia dicti Chriſti ex circumſtantijs locorum, ubi ponitur, petenda eſt. Matth. uigeſimo, Verſu 6. Confertur regnum cœlorum, hoc eſt, Eccleſia patrifamilias, qui conduxit mercenarios in uineam ſuam: conduxit autem omnes, quos inuenit otioſos. Matth. 22. 14. Confertur regnum cœlorum, hoc eſt: Eccleſia regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Vtrobiq; prædicatur gratia uniuerſalis, & bonitas Dei erga uniuerſos, & ſimul accuſatur magnitudo ingratitudinis maximæ partis humani generis. Prædicatio gratiæ uniuerſalis eſt: multi ſunt uocati. Accuſatio ingratitudinis & querela Chriſti, de paucitate bonorum eſt, Pauci uero electi, id eſt, credentes & ſinceri Dei cultores.

Congruit hæc querela, cum ea quæ eſt. Matth. 23. 3. Quoties uolui te congregare, ut gallina congregat pullos ſuos? & noluiſti. Si noluit, non neceßitate, ſed crimine prauæ uoluntatis perijt. Sunt qui putant, hanc doctrinam de uniuerſali gratia pugnare cum doctrina prædeſtinationis: & clamitant, eos euertere doctrinam prædeſtinationis, qui docent uniuerſalem gratiam, ſed falluntur: Vtramq; doctrinam docemus, nam & uniuerſalem gratiam prædicamus, & prædeſtinationem electorum factam eſſe, antequam iacerentur fundamenta mundi, agnoſcimus, ut Paulus docet ad Ephe. 1. Quid dico, agnoſcimus? immo ſtatuimus, prædeſtinationem eſſe ſolidißimum fundamentum ſalutis noſtræ, ad quam ſemper, & præſertim in agone mortis, tanquam ad ſacram ancoram confugimus. Sed non hæremus cum Zenonis familia, in uocula prædeſtinationis ſeu electionis, ſed modum prædeſtinationis & ele=

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

electionis ex Paulo prædicamus. Hic enim Ephe. 1. 4. modum diſertis uerbis tradit. Elegit nos, ait, in Chriſto ante conſtitutionem mundi. Item Ephe. 1. 5. Prædeſtinauit nos in adoptionem per Chriſtum IEſum. Item Ephe. 6. Charos nos fecit in dilecto, in quo habemus redemptionem per Sanguinem eius. Hic Paulus clariſsimè prædeſtinationem definit, pronuncians Deum nos prædeſtinaſſe ſaluti per Chriſtum & in Chriſto. Per Chriſtum quidem, ut mediatorem & λυτρωτὴν: in Chriſto uero, ut in capite, & cum capite, cuius membra efficimur per fidem. Nam cum fide inſerimur Chriſto, eius membra efficimur, atq; ideo prædeſtinati & electi, quia membra Chriſti ſumus.

Ex his concludo non Stoicam, ſed Chriſtianam definitionem prædeſtinationis, hanc uidelicet: Prædeſtinatio eſt ordinatio DEI, qua ipſe ante conſtitutionem mundi, ſecundum beneplacitum & conſi-

lium

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

lium uoluntatis ſuæ per Chriſtum, & in Chriſto deſtinauit uitæ æternæ omnes in Chriſtum redemptorem credituros, ut ſint ſancti, & immaculati coram ipſo, utque laudem gloriæ, gratiæ ipſius in omni æternitate prædicent.

Hinc facile eſt uidere, doctrinam prædeſtinationis non aduerſari uoluntati Dei, uolentis omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire: nec tollere uniuerſalem gratiam, quam prædicat Euangelium, ſed potius eam confirmare. Superiora igitur dicta, quæ adduximus de uoluntate Dei, uolentis omnes homines ſaluos fieri, illuſtrantur prædeſtinationis doctrina, & prorſus cum ea congruunt, ut alibi copioſè à nobis dictum, et declaratum eſt.

Cœterum Stoicæ quorundam prædeſtinationi multi pij & docti miniſtri Euangelij opponunt, quatuor hos clypeos, uidelicet, mandatum Dei uniuerſale, promiſsionem uniuerſalem, λύτρον uniuerſale,

le, & ſigillum uniuerſale, uidelicet baptiſmum. Vt enim Deus mandat prædicari Euangelium omnibus gentibus, & promittit omnibus credentibus Euangelio propter uictimam filij, quæ facta eſt pro toto mundo, ſalutem: ita etiam iubet hoc beneficium omnibus obſignari per baptiſmum. Hæc ſimul continentur in hoc Domini dicto. Marc. 16. 15. Ite in mundum uniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui autem non crediderit, condemnabitur.

De quarta cauſa deſperationis.

Quarta cauſa deſperationis eſt opinio peccati in ſpiritum ſanctum commißi, quod eſt, teſte magiſtro noſtro Chriſto, irremißibile, & dicitur peccatum blaſphemiæ, & peccatum ad mortem. Multi fuerunt et ſunt, qui cum non rectè intelligunt,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

quæ ſit huius peccati ratio, putant ſe hoc peccato inuolui, ex quo ſit, ut de uenia miſerrimè deſperent, ſicuti noſtra ætate accidit cuidam Italo Franciſco Spiræ, qui uocatus Venetias ad Cardinalem, præ metu abiurauit Euangelium, quod antea profeſſus fuerat. Hic miſer non rectè definiuit peccatum in ſpiritum ſanctum, quod in Petro apparet, qui etiam præ metu ipſum Chriſtum abiurauerat. Verum ne quis hic impingat, diligenter ex uerbo Dei definitio peccati in ſpiritum ſanctum eruenda eſt, qualis hæc eſt: Peccatum in ſpiritum ſanctum eſt uoluntaria rebellio aduerſus Chriſtum rectè agnitum, defectio ab Euangelio in corde hominis per ſpiritum ſanctum illuminantem obſignato, perſecutio Eccleſiæ, ſpreta & abiecta finaliter Chriſti hoſtia, quæ ſola peccati expiatrix eſt. Hæc definitio collecta eſt, ex multorum locorum ſcripturæ collatione, ut alibi notauimus. Dicitur autem hoc peccatum irre-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

miſsibile, non quod ſit potentius aut maius, quam gratia: Nam immota ſtat hæc Pauli regula: Gratia ſuperat peccatum: ſed quia non eſt alia, quam ſola Chriſti uictima pro peccato, quam qui finaliter ſpernit, abſq; dubio in æternum peribit. Nemo proinde exiſtimet, ſe peccare in ſpiritum ſanctum, niſi qui uoluntariè & finaliter renunciat Chriſto, ac eius hoſtiam extremè contemnit, & abijcit, ſine qua ſalus nulla ſperanda eſt. A quo peccato liberet nos Dominus noſter IEſus Chriſtus.

De quinta cauſa deſperationis.

Inter cauſas deſperationis quinto loco poſuimus molem afflictionum ſine intermiſsione. Hæc enim ſi non curatur efficaci remedio, hominem in deſperationem ueluti per gradus deijcit. Primum enim promiſsiones gratiæ paulatim obliterantur in mente, extincta fide. Deinde ingens do-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

lor & cruciatus in corde naſcitur, uaſtata conſcientia, hinc ſequitur fremitus cordis aduerſus Deum: unde homo tandem in deſperationem ruit, quam ſequitur æternus animæ & corporis cruciatus in tenebris exterioribus.

Quid ergo remedij habes contra hanc molem calamitatum huius uitæ, ne hominem in deſperationem adigat? Triplex remedium huic malo opponatur, uidelicet.

1. Conſilium Dei.
2. Exempla ſanctorum.
3. Collatio momentaneæ crucis & æternæ gloriæ. Item præſentis afflictionis, & æternæ pœnæ.

Conſilium Dei, quo alios minus, alios magis, etſi pares, ſi peccata eorum ſpectes, affligit in hac uita, non tam ſcrutandum, quam adorandum eſt: habet enim cauſas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

iuſti ſui conſilij. In hoc Dei conſilio, *ſpe-ctanda ſunt duo* Iudicium, *& miſericordia.* Iudicium *quidem, quo iuſtè punit hominem propter peccatum, cum naturæ, tum per-ſonæ: quod quidem in eum finem facit ex paterno amore, ut uiam ſibi ſternat ad mi-ſericordiam.* Miſericordia *uero, ut puni-tus reſipiſcat & ſaluetur.* Eſt *enim natura* Dei, *quod mortificet, ut uiuificet: deducat ad inferos, ut in cœlum exaltet.* Hæc *ergo duo, iudicium & miſericordia, excitabunt in afflicto confeßionem, inuocationem, gratiarum actionem, &* Spem. Confeßio-*nem, ut dicat cum* Dauide Pſalm. 51. 6. Peccaui Domine, *& malum coram te feci.* Item Pſalm. 119. 137. Iuſtus es Domine, *& rectum iudicium tuum.* Inuocationem, *ut dicat cum* Publicano Luc. 18. 13. DEVS *propitius eſto mihi peccatori.* Item Pſalm. 25. 11. *Propter nomen tuum propitiare peccato meo, multum eſt enim.* Item Pſal. 51. 1. *Secundum multitudinem miſeratio-*

num tuarum dele præuaricationes meas. Gratiarum actionem: Vt dicat cum Iob 1. 21. Dominus dedit, Dominus accepit, ſit nomen Domini benedictum. Spem deniq;, ut uero corde ſentiat, & dicat cum eodem Iob 13. 15. etiamſi me occideris, in te ſperabo, hoc eſt, etiamſi me extremis calamitatibus ſubieceris, non deſinam in te ſperare. Hæc enim mea ſpes in æternum non confundetur.

Exempla ſanctorum, qui propter diuturnas afflictiones non defecerunt à fide, ſed magis in ſpem bonam erecti ſunt, ſcientes iudicium à domo Dei incipere, ſunt obuia: ſed omißis alijs, exemplum Lazari, quod Eccleſiæ toti notum eſt, proponam, præſertim, quia illud nobis à Chriſto commendatum eſt Luc. 16. 20. in hunc finem, ne à Deo deficiamus propter calamitates, quæ incidere poſſunt in hac uita. Hic Lazarus fuit pauper, ulceroſus, & contemtus uſq; ad finem uitæ in hoc mundo. Quid

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

hic fecit Lazarus? non deſperauit, non pu-
tabat ſe propterea à DEO reiectum, quia
ſpernebatur ab hominibus: non putabat ſe
ideo abominabilem coram Deo, quia ho-
minibus abominabilis erat, propter morbi
ſui fœditatem: non putabat ſe ideo reie-
ctum iri à Deo, quia pauper & mendicus
erat. Quid ergo fecit? hoc euentus indi-
cat, mortuus deferebatur ab Angelis in ſi-
num Abrahæ. Ergo dum uixit, quamtum-
uis pauper, ulceroſus, & contemtus, A-
brahæ ueſtigijs inſtitit, ut Filius patris: cre-
didit igitur DEO, ut Abraham, obediuit
Deo ut Abraham, ſpem habuit ut Abra-
ham, alioqui in locum beatitudinis cum A-
braham nequaquam fuiſſet receptus. Sed
dices fortè: hoc ſingulare exemplum non
poteſt communem regulam præſcribere.
Reſpondeo: poteſt ut q;, Deus enim iuſtus
eſt & æqualis, æqualiter ſe habentibus, a-
pud quem non eſt perſonarum reſpectus,
quod ad iudicium & miſericordiam atti-
net:

net: iudicio omnes contumaces, & perſeuerantes in peccatis uſq; ad mortem condemnat: miſericordia omnes, qui conuertuntur ad Deum per fidem in Ieſum Chriſtum, recipit. Valet ergo conſequentia ab uno ad omnes propter conſtantiam Dei in ſuis comminationibus & promiſsionibus. Vt Paulus Roman. 4. 23. ab uno exemplo Abrahæ colligit, omnes, qui credunt iuſtificari fide abſq; operibus: Ita nos ab uno exemplo Lazari recte concludimus, omnes afflictos in hoc mundo, modo retineant fidem Abrahæ, recipi à morte in ſinum Abrahæ, hoc eſt, in beatam requiem, promiſſam omnibus inuocantibus nomen Domini, iuxta illud Ioel. 2. 32. Roman. 10. 13. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Quantumuis ergo affligimur in hoc mundo, ſtatuamus Deum non aliter erga nos affectum eſſe quam fuit erga Lazarum: & firma fide promiſsionem hanc teneamus, Pſalm. 50. 15. Inuoca me in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

die tribulationis, eripiam te, & glorifica-
bis me.

Collatio miſeriæ præſentis uitæ, & gloriæ futuræ uitæ. Illa finem habet, hæc æterna eſt: illa momentanea eſt, hæc perpetua, quæ promiſſa eſt ijs, qui in fide perſeuerant, & in inuocatione Dei ab hac uita diſcedunt. Sed per amarum eſt, inquies, toto uitæ tempore cruciari? Veriſsimum quidem hoc eſt, ſed iſta amaritudo, ſi ei artem diuinitus monſtratam adhibeas, uertetur in dulcedinem, & tametſi in ſe manet amara, tibi tamen ſuauiſsima uidebitur. Vt enim aquæ, quæ erant amariſsimæ in Marath, iniecto ligno à Moſe ex mandato Domini, factæ ſunt dulciſsimæ Exod. 15. 25. Sic nihil non fit credentibus non ſuauiſsimum, ſi lignum illud crucis & ſupplicij Chriſti addatur ceu condimentum. Hoc fit, quando in noſtris calamitatibus uiua fiducia recumbimus in Chriſtum, qui pro nobis in ligno pependit, ut omnia nobis amara

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

fiant dulcia, fiducia Chriſti, et ſpe beatæ & æternæ gloriæ, quæ in immenſum excedit huius uitæ calamitates & miſerias, quantumuis longiſsimas. Vt enim mare ſuperat ſua quantitate guttulam aquæ: ita gloria, quam ſperamus, ſuperat, immo ſupra modum excedit omnes huius mundi calamitates, et miſerias totius humani generis. Quicunq; ergo conflictatur cum perpetuis afflictionibus in hac uita, cogitet etiam de immenſa gloria, quæ propoſita eſt ijs, qui in inuocatione Dei ex hoc mundo diſcedunt. Hanc collationem præſentis miſeriæ & futuræ gloriæ commendant nobis Chriſtus, Paulus, & Petrus. Chriſtus Matth. 10. 28. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed timete potius eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehenna. Perdere hic non eſt in nihilum redigere, ſed æternis cruciatibus affligere. Vult ergo Dominus, ut cum affligimur in hac uita, duplicem colla-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

tionem inſtituamus, unam afflictionis præſentis uitæ, & pœnarum æternarum: Alteram afflictionis præſentis uitæ, & futuræ gloriæ in uita beata. Quando ergo affligeris in hoc mundo, cogita quam ſit hæc breuis afflictio, quæ ne momenti quidem rationem habet ad pœnas æternas, quæ manent omnes, qui non conuertuntur ad Deum ante mortem. Hinc in afflictione excitaberis ad pœnitentiam, ut effugere horribiles illas pœnas & æternas queas. Rurſus quando affligeris, cogita quam leuis pœna ſit hæc, ſi conferatur cum gloria ſempiternæ uitæ credentibus in Chriſtum promiſſa. Hic rurſus & ad pœnitentiam, & ad patientiam excitaberis. Ad pœnitentiam quidem, ut fias particeps beatæ immortalitatis. Ad patientiam uero, ut propter ſpem promiſſæ ſalutis æternum duraturæ, forti animo ſuſtineas afflictiones huius uitæ, ac eas pro nihilo habeas. Paulus. 2. Corinth. 4. 17. Leuitas afflictionis noſtræ ſupra

modum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

modum momentanea, æternum ſupra modum pondus gloriæ operatur in nobis, dum non ſpectamus ea quæ uidentur, ſed quæ non uidentur. Roman. 8. 18. Non ſunt afflictiones huius uitæ condignæ ad futuram gloriam. Petrus. 1. Pet. 5. 10. Deus omnis gratiæ, qui uocauit nos ad æternam ſuam gloriam, in Chriſto Ieſu, paululum afflictos ipſe uos perfectos reddat. Breuiter, cum habeamus duplex mandatum Dei, unum obedientiæ, alterũ inuocationis, quoties cruce, quantumuis graui, premimur, ſimus Deo obedientes ſub cruce, in uera patientia, ac ipſum inuocemus, qui dixit Pſalm. 50. 15. Inuoca me in die tribulationis, eripiam te, & glorificabis me.

De ſexta cauſa deſperationis.

Sexta cauſa deſperationis eſt diuturna & longiſsima peccandi conſuetudo, qua homo ſe totum Diabolo ſubijcit contemto

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

Deo et eius uerbo. Nam qui impuritati uitæ diutius indulgent, eorum conſcientia, quaſi cauterio inuritur 1. Timoth. 4. 2. ut iam non ſentiant malum. Qui ergo tales ſunt, difficulter in uiam reuocari poſſunt. Impius, ait Salomon Prouerb. 18. 3. cum in profundum peccatorum uenerit, contemnit, id eſt, ſecurus fit, & contemnit iudicium Dei, nec de pœnitentia agenda cogitat. Nihil ergo periculoſius eſt tali peccandi conſuetudine, qua multi, proh dolor, in æternum exitium præcipitantur. Quid hic dicemus? Si gratia ſuperat peccatum, & Deus non uult mortem peccatoris, neq; hic omnino deſperandum eſt. Nam certum eſt, quod bonitas Dei inuitet omnes ad pœnitentiam, donec in hac uita fuerint. Roman. 2. 4. Etſi igitur periculoſiſsima eſt longiſsima peccandi conſuetudo, ut diximus, qua texitur longa & triſtiſsima peccatorum catena: tamen miſericordia Dei poenitenti expoſita eſt. Sed hic opus perito

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

medico. Vt enim in uitijs corporis medendis fit: Ita etiam in peccatis hominum curandis fieri neceſſe eſt. Vitia corporis alia facilè curantur applicatione malagmatis: alia opus habent ſectione: ijs quæ ſectione non curantur, ignis adhibetur, ut exuratur uitium corporis. Sic alia peccata ſalutaribus admonitionibus emendantur: alia obiurgationibus & minis curantur: alia non niſi cruce et afflictionibus ſanantur. Cuius generis eſt longa peccandi conſuetudo, & inueterata, de qua nunc nobis ſermo eſt. Latro qui audiuit à Domino, cras eris mecum in Paradiſo, nunquam reſipuiſſet, niſi cruce fuiſſet eruditus, nam uenerat in profundum peccatorum. Huius Latronis exemplum, ideo proponitur nobis in paßione Domini, ut ſciamus nullum peccatum tantum eſſe, neq; tam diuturnum, quin poßit ſanari aſperſione ſanguinis Chriſti, quod fit, quando homo conuertitur ad Deum per fidem in Ieſum Chriſtum. Huius ſanationis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

imago proponitur nobis in Lazaro qua=
driduum mortuo. Vt enim Dominus non
ſolum potuit ſanare ſocrum Petri febrici=
tantem, cœcos, claudos, leproſos, Item fili=
am Iairi in lecto iacentem mortuam excita=
re, Item filium Viduæ iam exportatum ex=
tra urbem ut ſepeliretur, uerum etiam La=
zarum quadriduum iam fœtentem in ſe=
pulchro excitauit. Ioh. 11. 44. his imagi=
nibus ſignificatur, quod medicus animarum
noſtrarum Ieſus Chriſtus poßit & recentia
uulnera animæ, & inueterata foetentiaq;
ſanare. Hic noſter medicus ſanauit Manaſ=
ſem, Magdalenam, Latronem, & innume=
ros alios, quantumuis in peccatis ſuis, ue=
luti ſepulti foetuerunt. Nemo ergo deſpe=
ret ueniam, etiamſi diutiſsimè in peccati
lutum & foetorem demerſus fuerat. Si u=
ritur igne crucis, & inde excitatur conſci=
entia, quæ iam diu, tanquam mandrago æ
ſopita iacuit, agat gratias Deo, qui digna=
tus eſt ſibi manum medicam adhibere, &
reuer-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

reuertatur à uia ſua peſſima, per fidem in Ieſum Chriſtum. Quod ſi fecerit, ſanabitur à ſuo morbo, tametſi fuerit longiſsimus & periculoſiſsimus. Semper, ait Fulgentius, delectatur Deus conuerſione noſtra, nec tempus huiuſmodi, quam diu in hac uita eſt, poſuit, quo propitiari conuerſo non poßit, immo tempus omne præſentis uitæ conuerſioni noſtræ cognoſcitur deputaſſe. Idem: Nulla prolixitas temporis, uel æquitati diuinæ, uel pietati præiudicat. Poenitentia nunquam eſt apud DEVM ſera: in cuius conſpectu ſemper pro præſentibus habentur, tam præterita, quam futura. Si diuturnitas peccatorum Dei uinceret miſericordiam, non in ætate mundi nouiſsima ueniret, ut peccatum mundi pereuntis auferret. Verum hic quilibet omnium primum cogitet, quam multa mala concurrant in uno peccato. Primum in ſe eſt turpe & abominabile, quo dignitas humanæ naturæ defoedatur, tanquam coeno immundiſſimo

ſimo & foeditiſsimo. Secundo, placet mirum in modum impuris ſpiritibus: id eſt, diabolis, nec quicquam diabolis iucundius, quam ut homines formati ad imaginem DEI, ſui ſimiles per peccatum, euadant. Dominantur enim diaboli per peccata hominum, iiſq; paſcuntur, ut ait Auguſtinus: Tertio, Deo ſancto & caſto peccatum ſummè diſplicet, nam eſt uiolatio legis diuinæ: defectio à DEO: deformatio & inductio imaginis DEI, ad quam factus eſt homo: prouocatio iræ DEI in peccatorem: Quarto, peccatum nocet committenti, nam eum obſtringit ad æternas poenas, niſi fiat remiſsio. Quinto alijs imitatione nocet, nam qui te peccantem imitantur, non ſolum ipſi rei fiunt æternarum poenarum, uerumetiam tuus reatus fit maior coram DEO, adeo ut CHriſtus dicat de tali homine: melius eſſe mola aſinaria alligata capiti eius demerſum eſſe in mare.

Deinde cogita, quam grata ſit Deo & angelis eius matura reſipiſcentia. Gaudium, inquit Dominus, angelis in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Præterea cogita, quantum periculum ſit in peccatis conſeneſcere. Sera pœnitentia, ut ait Auguſtinus, raro uera. Multi tolluntur è medio ſubito præter omnem expectationem, multi traduntur in reprobam mentem. Pauci admodum, qui conſenuerunt in peccatis, in uiam reuocantur, ſed obruuntur tenebris mentis & cordis, ut de pœnitentia agenda nunquam cogitent. Ambulabant, ait Sophonias capit. 1. 17. ut cœci, quia Deo peccauerunt. Theſauriſant ſibi iram in diem iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. Iuxta duritiem tuam (ait Paulus: Roman. 2. 5.) & cor pœnitere neſcium, colligis tibijpſi iram in diem iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei. Cogita uoluntatem tuam non poſſe mutari à malo ad bonum ſine gratia Dei, ſed magis magisq; in malo

 indu=

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

indurari. Vt enim ſole ſubtrahente ſuos radios, ſponte ſequuntur tenebræ, quæ magis magisq; creſcunt: Ita Deo ſubtrahente ſuam gratiam, ſponte ſuccedit peccatum, creſcitq; magis magisq;, donec hominem prorſus oppreſſerit æternis tenebris. Nihil proinde tutius eſt, quam citiſſimè conuerti ad Dominum, & ambulare coram DEO noſtro ſolicitè, inuocare Deum, gratias agere Deo: audire, legere, & meditari uerbum Dei, exercere opera charitatis, facere opera uocationis in timore Dei: cogitemus ideo diem mortis eſſe incertum, non ut differamus, ſed ut maturemus pœnitentiam. Iuuenibus enim mors eſt in inſidijs, ſenibus in ianuis. Memorabile eſt Auguſtini dictũ, Ne, inquit, deſperando augeamus peccata, propoſitus eſt poenitentiæ portus: rurſus ne ſperando augeamus, datus eſt dies mortis incertus. Cogitemus igitur de extremo actu uitæ, ut ille ſit lætus, cogitemus de futuro iudicio, imitantes diuũ Hieronymum,

qui

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

qui hac cogitatione ſe in timore Dei continebat. Siue, inquit, comedam, ſiue bibam, ſiue aliquid aliud faciam, ſemper uox illa uidetur ſonare in auribus meis: Surgite mortui, & uenite ad iudicium. Notetur hic conſilium Auguſtini: Vis à dubio liberari: Vis quod incertum eſt euadere, age poenitentiam, dum ſanus es: ſi ſic agis, dico tibi, quod ſecurus es, quia poenitentiam egiſti eo tempore, quo peccare potuiſti.

ECPHRASIS DOMINICÆ Orationis.

Pater noſter (per fidem enim nati ſum⁹ filij tui in dilecto tuo filio Ieſu Chriſto.

Qui es in cœlis (quo nos uocas hæredes tuos, & cohæredes Ieſu Chriſti filij tui dilecti.

Sanctificetur nomen tuum (hoc eſt, per ueram notitiam tui, & ſanctificationem ſpiritus glorificetur. In hunc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

enim finem omnia creaſti, ut te ſanctum agnoſcant & glorificent.

Veniat regnum tuum [te in nobis regnante uerbo, ſpiritu, iuſticia, pace & gaudio in ſpiritu ſancto.

Fiat voluntas tua (de nobis & à nobis. De nobis quidem in ſalutem, quia tua uoluntas eſt, ut omnes homines ſalui fiant, & ad agnitionem ueritatis ueniant: à nobis uerò, ut tibi pareamus & faciamus quæ tibi grata ſunt, uiuentes in iuſticia & ſanctitate uera.

Sicut in cœlo & in terra (ut tibi obediamus in terra, quemadmodum caſtiſsimi Angeli tibi obediunt in cœlis.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie (paſce & animas noſtras pane uitæ æternæ, & corpora noſtra terrenis alimentis, conſerua agriculturam, conſerua miniſterium Euangelij, mitte fideles miniſtros uerbi, da magiſtratum politicum iuſtum, tuere regem & alios, qui in dignitate ſunt conſtituti unà cum ſubditis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

Et dimitte nobis debita noſtra (quoniam in multis labimur omnes, condona nobis ô pater quotidianos lapſus, ignoſce erroribus noſtris, uicioſos affectus reprime, da gratiam ſpiritus & robur, ut in nobis peccatum non dominetur, ſed ut illud ſubiectum reprimamus.

Sicut & nos remittimus debitoribus noſtris (Quia uis, pater, tuum factum, quo remittis nobis peccata, eſſe regulam noſtræ affectionis erga proximum, da nobis ex gratia, ut & nos remittamus debitoribus noſtris, quantum quidem in nobis eſt, & expedit tuæ gloriæ, & charitati proximi.

Et ne nos inducas in tentationem (Ne permittas, ut caro noſtra, Mundus et Diabolus nos in tentationem inducant, ut uel dubitemus de tuo uerbo, uel præſumamus de uiribus noſtris, uel deficiamus à te uita noſtra, ac tandem deſperemus ac moriamur mortem æternam.

Sed

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

Sed libera nos à malo [*hoc eſt, & à Diabolo tentatore qui nos ſolicitat ad defectionem à te DEO noſtro, & à quouis malo impediente quæ tuæ ſunt gloriæ & noſtræ ſalutis.*

Quia tuum eſt regnum (*ad quòd nos uocas.*

Tua potentia (*qua nos defendis & reprimis hoſtes.*

Et tua gloria (*cuius nos reddes participes propter filium tuum Dominum noſtrum IEſum Chriſtum. Cui una tecum & ſpiritu ſancto ſit laus, honor, imperium in omnem æternitatem.*

Amen, (*Fiat ô pater quæſumus quod ex mandato filij tui noſtri unici mediatoris te petimus, Amen.*

HAFNIAE

Sumptibus Henrici VValdtkirch: C. & B. Hafnienſis: apud quem etiam uenalis extat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 747 8° copy 1